Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2089

Quelle:
Copyright:

DL.

110 Codex chartaceus lat. hisp. Sec. XVI. f. rursus est Fascis *Opusculorum Theologici* potissimum *argumenti*, quae ordine percensebimus. I. *Cyclus aureus alias Speculum aureum. De beneficiatis per gratias exorbitantes in Curia Romana anno domini* 1404. *compilatus per quendam D. pragensem.* Incipit: *Reuerendissimis in Christo patribus et dominis, sacro sanctę Romanę ac vniuersalis ecclesię Cardinalibus* &c. *P: minimus et vtinam inter veros discipulos Jesu Christi planctum pro affectu et dolorem* &c. Descriptum dicitur in ora inferiore *fol.* 1. *Ex libro Carthusianorum Coloniae signato* N°. N. 87. sed mancum est, deficitque in L. I. c. 7. cum Libris III. constare deberet. Integrum, teste *Herm. von der Hardt, Conc. Constant.* T. I. P. 9. in *Praef.* ubi simul totus illius Conspectus exhibetur, editum est *inventa vix typographia*, dein per *Wolf. Wissenburgium Basil.* 1555. mox a *Goldasto* in T. II. *Monarch. S. R. Imp. fol.* 1527. et ab *Edw. Brownio* in *Append. Fascic. Rer. expet. et fugiend.* cooptatum. Omnes hi, aliique magno consensu autorem statuunt *Paulum* quendam *Anglicum* Decret. Doctorem, ut adeo necesse sit, aut titulum nostrum supra adductum falli, aut *Paulum* hunc cum aliis e *Wicleffi* palaestra *Pragam* transfivisse, id quod *Hagecius* in *Chron.* de *Jacobo* aliquo, *Conrado*que ad an. 1404. commemorat. *foll.* 20. Adde *Codicem* seq.

II. *Dictata Dn. Melanchthonis in Epistolam Pauli Apostoli ad Rom.* Perpoliti et retractati extant hi Commentarii in *Opp. Philippi* P. III. *Witteb.* 1601. p. 883. f. *foll.* 60.

III. Sermo hispanicus *de Ascensione Domini* autore quodam *Licentiato Maldonato*, qui illum anonymo cuidam Magnati *(muy alto y muy poderoso Señor)* inscribit, vocatque *las primicias de mi trabajo. foll.* 7.

IV. *Pasquillus natione Romanus amator ueritatis princeps satyricorum Cęsarum perpetuus Romę locum tenens, nec non Gibellinę factionis constantissimus publicus promotor ac malorum Papa-rum uehementissimus insidiator S. D. illustri nobis dilecto Philippo Lantgrauio Hassiæ* &c. Est Satyra prolixa subscripta *Romę VII. Decemb.* 1543 paene omnia utriusque Reip. turbidis hisce temporibus negotia tangens, praecipue res Caesaris cum Pontifice, Gallo, et Statibus Imperii, Concilium Tridentinum, Conventum Smalcaldicum, Udalricum Würtembergensem &c. Incipit: *Postquam Licaontem illum Lycoperanum, illum inquam, scelestissimum Germaniæ Tyrannum expulisti, nihil de te aut fidere audiui* &c. *Lycaon Lycoperanus (λυκος Wolf, Pera Büttel) Henricus junior* Dux Brunsuicensis est, cujus fata apud *Sleidanum*, *Hortlederum*, *Seckendorfium* habes, quemque *Pasquillus*